

SPRAWOZDANIE  
DYREKCYI  
C. K. GIMNAZYUM WYŻSZEGO  
W BRZEŻANACH  
ZA ROK SZKOLNY 1907/8.

TREŚĆ:

- 1) DE TRANSLATIONUM, QUAE VOCANTUR, ET COMPARATIONUM USU  
HORATIANO. — SCRIPSIT DR. S. HANDEL.
- 2) CZĘŚĆ URZĘDOWA — PRZEZ DYREKTORA.



BRZEŻANY.  
NAKŁADEM FUNDUSZU SZKOLNEGO.  
DRUK. I LIT. ST. CHOWAŃCA W STANISŁAWOWIE.  
1908.



RY. IRAW.  
Spr. 11.

# De translationum, quae vocantur, et comparationum usu Horatiano.

scripsit

Dr. S. Handel.

---

Quamquam Augusti aetate litterae tantopere vigeant nec defuerunt viri ex omni parte insignes, ut haud immerito auream appellare eam possis, tamen Horatius inter poetas lyricos primum fere tenet locum cum sermonis urbanitate versusque elegantia tum luminibus illis orationis, quae, quocumque oculos vertas, ex libris eius elucent.

In his imagines et comparationes praecipue ad gratiam poetae conciliandam valuisse nemo est, qui neget. Quo magis mirum mihi videtur, quo modo Horatius hanc provinciam administraverit, non satis adhuc explicatum esse<sup>1)</sup> praesertim cum multi iam viri docti eius modi quaestiones ad Graecorum et Romanorum scriptores singulos pertinentes peculiaribus libellis exposuissent<sup>2)</sup>. Quae cum ita sint, operae pretium mihi videtur esse accuratius excutere, quales sint illae imagines quaque arte a poeta adhibitae.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, deprecemur oportet, ne quis crimini nobis vertat, quod consilio omnes Horatii tropos perlustrandi praesens in tempus omisso imagines potius explanare libuerit. Nam cum hanc animo informassem sententiam non posse de summa vere iudicari nisi singulis rite perpensis neque de peculiaribus scriptoris apte statui nisi materia, quae res comparandas contineat, religiosissime congesta, abundantissima rerum copia, quominus omnes tropos Horatianos percenseam, deterrear parvisque contentus in praesentia paucis acquiesco, dum exempla usus Horatiani, qualis sit in imaginibus, quae metaphorae

et similitudines vocantur, ea, qua par est, diligentia comportare et quae ex comparatis ad Horatii indolem et consuetudinem accuratius perspiciendam elici possint, sub conspectum ponere stat mihi sententia.

Restat, ut pauca de via ac ratione moneam, quam in hac disputatione ingredi visum mihi est.

Primum nonnulla de comparationis<sup>3)</sup> vi ac natura praefatus distributionem illam, quae ad propositum maxime idonea videtur esse, proferam.

Deinde omnia — nisi forte quid me fugit — exempla, quae apud Horatium leguntur, adponam collatis et Graecorum et Romanorum poetis, quos pro viribus meis consulere atque inspicere licuit. Sed in exemplis enumerandis ne magna exemplorum silva tamquam deferremur neve velut navis gubernaculo amisso, quasi fluctibus iactaremur, verum ut filum quoddam, quo duceremur, facile reperiri posset, singula pro regionibus vel sedibus, ex quibus quaeque res ad comparandum apta petita est, discernenda putavi.

Denique haud inscius laboris atque difficultatum ex exemplis allatis, quid ad poetae nostri artem atque indolem adumbrandam efficiatur, exponere conabor. Sed aggrediamur primum huius commentationis caput.

### Caput I.

De comparationis et metaphorae vi ac natura.

Haud alienum mihi esse a proposito videtur quam paucissimis commemorare, quaenam inter sermonem poetamque ipsum intercedat ratio. Iam diu inter omnes constat linguam humanam eiusque conformationem non solum sentiis exprimendis inservire, ita ut tamquam cotidiani usus ac consuetudinis adiumentum sit, verum etiam artis poeticae instrumentum esse, adeo ut ipsa quasi artificium perfectum et omni numero absolutum animis nostris obversetur. Quae cum innumerabiles imagines et dictiones translatas velut fonte quodam inexhausto contineat, poetae ad carmen condendum accedenti velut e cornu copiosissimo eas effundit in eiusque potestate quasi esse iubet. Poetae autem ingenio omnes illi animi motus et, ut ita dicam, arcae quaedam divinationes et praesagia, quae in hominum animis delitescent et tamquam torpent, ad novam vitam excitantur et quasi emergunt animosque nostros admirabili modo oblectant. Neque dubitari

potest, quin pro via ac ratione, qua in vocibus verbisque eligendis ac formandis utuntur, neque minus in orationis ornatu adsciscendo oculisque nostris velut imaginem proponendo poetarum ingenium atque indoles conspiciantur.

Quibus praemissis ad rem redire nobis liceat

Translatio, quae vocatur, vel ut Graece dicam, μεταφορά troporum genus cum frequentissimum, tum longe est pulcherrimum, quod translatione oratio fit tam iucunda atque nitida, ut tamquam proprio lumine eluceat. Cuius tropi naturam accuratius spectanti rei ipsius dulcedo atque iucunditas quasi videtur suadere, ut diligentius perscruter, quidnam de hac re viri docti inde ab Aristotele, qui primus troporum significationem praestantissime evoluit, usque ad nostram aetatem iudicaverint. Sed cum veterum de metaphora doctrinam Muetzellius<sup>4)</sup> iam dilligentissime exposuisset, propterea fusius de hac re disputare, ne acta agere viderer, supersedendum esse existimavi eo magis, quod in materia disponenda recentiorum potius virorum, qui hanc rerum provinciam administrant, sententiam sequi placuit. Etenim ut alios libellos huc spectantes<sup>5)</sup> mittam, omnia, quae ad hanc rem pertinent, optime atque doctissime collecta et collata sunt a Gerbero in libro illo, qui inscribitur: „Die Sprache als Kunst“<sup>6)</sup> Huius doctrinam potissimum in ea materia explananda secutus sum, sed ita, ut non totum me ei addicerem, verum delectis iis, quae ad propositum maxime spectarent, reliqua neglegerem.

Itaque cum res in aliam rem transferri non possit nisi per similitudinem quandam, satis apparet notiones similes inter se comparari. Quae comparatio duplex esse potest. Quodsi duae notiones similitudine quadam cohaerentes inter se ponuntur ita, ut similitudo earum particula comparativa demonstretur, comparatio vel collatio [σπουδαίως, porównanie, Vergleichung] fit, sin proprie usitata et translate dicta confunduntur et, ut ita dicam, in unum confluent eius modi, ut propriae alterius rei notae alteri tribuantur, metaphoram vel translationem subesse dicimus.

Comparisonis vero genera sunt duo; alteri simpliciter comparisoni nomen inditum est, si singulis notionibus particula comparativa vel adiectivis „similis, par, aequus“ inter se collatis nihil amplius additur; sin autem res comparandae uberius describuntur et quasi depinguntur, ita ut non tam singula cum

<sup>4)</sup> Bydgoszcz, 2. wyd. 1905—06, 2 tomy.

singulis ponantur, quam comparatae rei imago compluribus notis instructa quasi tabula bene picta in bono lumine collata videatur, tum similitudinem esse dicimus; quod alterum genus Graeci εἰκόνα, Germani „Gleichnis“ vocant.

Tum metaphora brevior est similitudo eoque ab illa distat, quod similitudine res alia cum alia comparatur, translatione alia pro alia ponitur, ita ut saepe rebus sensu carentibus ex uberrima imaginandi potestate actum quendam et animos tribuamus.

Est autem translatio aut 1) simplex, cum singulis stat vocabulis aut 2) continuatur per totum enuntiatum unum vel plura et tum allegoria (ἀλληγορία) dici solet. Postremo ne longus fiam, restat, ut illam translationis simplicis partem eamque suavissimam exhibeamus, personificationem quae vocatur, qua res animo carentes quasi humana specie indutae menti atque oculis obiciuntur.

## Caput II.

### Materiae totius dispositio

Sequitur, ut deinceps de via ac ratione agamus, quae in materia disponenda constituta nobis est. Cum metaphora et longe frequentissima et rei propositae summa sit, ante omnia id faciendum puto, ut fusius disseram, quo modo et quibusnam causis adductus eam disponendi rationem aptissimam putaverim, quam infra sequar. Patet enim metaphora, quippe cuius exempla longe plurima exstent, rite distributa ac disposita et alia comparisonum genera ad amussim facile discerni posse. Sed iam supra commemoratum est veterum de metaphora doctrinam a Muetzellio l. 1. peritissime atque uberrime illustratam esse. Quae cum ita sint, hoc loco satis habeo monere metaphorae terminos ab Aristotele (Poet. 21, 4) longius prolatos esse, adeo ut non solum metaphoras, sed eos etiam tropos, qui synecdoches et metonymiae nomina prae se ferunt, dispositione sua amplexus sit. Deinde veteres grammatici et rhetores, etsi Aristotelem potissimum secuti sunt, tamen finibus metaphorae in artius contractis in quattuor genera eam distribui voluerunt\*). Ut ex ingenti auctorum numero unius saltem idque gravissimi iudicium adferam, Quintiliani illius partitionem in librorum, quos de institutione oratoria condidit, octavo\*\*) expositam breviter adponere haud pigebit. Versatur enim in eo, ut1) in rebus animalibus aliud pro alio ponatur aut 2)

• \*) cf. Pseudo-Plut., de vita et poes. Homeri 20.

\*\*) Inst. orat. VIII, 6, 9 ss.



inanima pro aliis eiusdem generis aut 3) pro rebus animalibus inanima sumantur aut 4) denique contra. Cui partitioni multum inesse infirmitatis a nostrae aetatis viris doctis\*) cognitum multisque argumentis confirmatum est.

At longe aliter ad hanc quaestionem illustrandam accessit Dannehlus in libro suo, qui inscribitur „De tropis“ 8). Qui cum ad usum troporum apud poetas Latinos explicandum magis psychologiae, ut ita dicam, ratione usus sit, multum sane ad tropos rectius intelligendos contulisse mihi videtur. Distribuit igitur universum translationis genus in tres partes primam faciens personificationem sive *προσωποποίηση*, quam Graeci vocant, alteram metaphoram comparativam, tertiam allegoricam. Quae dividendi ratio etsi Dannehlum in perscrutando poetarum usu metaphorico egregie adiuvit, tamen si integra adhiberetur, in rem nobis propositam minus quadraret, praesertim cum personificationis finibus nimium prolatis metaphora ipsa angustiis fere contrahi atque obstringi videretur. Denique, ut finem enumerando faciam, Raumer in illo libro, qui inscribitur, „Die Metaphern bei Lukrez“\*\*), mihi quidem acu rem, ut dicunt, videtur tetigisse, dum disponendi leges ad rerum causarumque nexum ab historia depromptum revocat. Monet enim haecce: Am sichersten werden wir beim Aufsuchen eines möglichst erschöpfenden Einteilungsprinzips gehen, wenn wir die historische Betrachtung zur Führerin nehmen. Es lässt sich mit ziemlicher Gewissheit annehmen, dass auf dem Gebiete der Concreta zuerst Vergleichen angestellt wurden; auf diesem Gebiete werden wir daher die ältesten Metaphern zu suchen haben. Eine höhere Entwicklungsstufe setzt es bereits voraus, wenn Abstracta zur Vergleichung hingezogen werden. So ergibt sich uns von selber folgende Verteilung:

Es werden übertragen:

- 1) Concreta auf Concreta
- 2) Concreta „ Abstracta
- 3) Abstracta „ Abstracta
- 4) Abstracta „ Concreta.

Neque penitus deliberanti haec quidem partitio probari potest, primum quod Raumer ipse difficultates, quae in singulis interdum exemplis distinguendis occurrunt, haud ignorat neque ipse negat se nonnumquam incertum haerere, quo quodque inserat, deinde quia verba et dictiones metaphorice usurpatas secundum litterarum ordinem digestas praebet neque eo nimis

\*) cf. Gerber, l. l. II. pag. 85 ss.

\*\*) libell. scholast. gymn. Erlang. in a. 1893.

prohibere potest, quominus similia et aptissime inter se cohaerentia haud raro divellantur. Quae cum ita sint, non uni alterive doctrinae nos addicere, sed ex omnibus, quae utilissima et aptissima videantur, in rei nostrae usum convertere libet. Itaque si res omnes et sensibus subiectas vel finitas et animo tantum perceptas vel infinitas secundum originem atque cognationem quandam accuratius perpendimus, haud difficulter duo potissimum rerum genera, quae artis finibus ac terminis inter se dissident, statui possunt. Atque primum est genus universa natura animo tam praedita quam carens, quae penitus quaerenti tamquam summa quaedam virium inter se partim conspirantium partim repugnantium, attamen apte atque convenienter compositarum apparet. Alteri generi adnumeranda sunt omnia, quae ad hominem pertinent.

Ex his, quae modo protuli efficitur, ut omnes Horati imagines ad duo genera sint restringenda, quorum utrumque, quoniam copiosius est, quam quod in unam cogatur formam, in nonnullas partes dividatur necesse est.

Quarum rerum ratione habita dispositionem faciamus hanc:

A. Res, quae ad naturam pertinent.

I. Natura anima carens

a. corpora caelestia, ignis, calor, lux, nubes, similia

b. Naturae res in terra conspicuae

II. Natura anima praedita

a. Plantae

• b. Animalia

B. Res, quae ad hominem spectant

I. Hominis vita, corpus, animus

II. Hominum occupationes, negotia, studia, instituta, conditiones, similia.

Iam ad finem huius capitis pervenienti nil reliquum est, nisi ut addam me hanc disponendi rationem scilicet mutatis mutandis et in personificationibus, quae vocantur, et in comparisonibus exponendis adhibiturum esse.



## De translationum usu Horatiano.

### Caput III.

Dictiones ad rerum naturam spectantes metaphorice usurpantur.

#### I. Natura anima carens.

Cuius capitis fines cum late pateant, partes singulas paragraphis notare liceat.

##### §. 1.

#### De rerum in caelo conspicuarum usu translato.

Iam primum omnium monendum esse opinor propter rei utriusque cognationem exempla, et translationis et allegoriae, quippe quae nihil aliud quam translatio continua sit, una sed suo quamque loco adpositurum me esse. His praemonitis ad propositum redeamus.

Ex ordine in fine capitis prioris nobis constituto apparet translationes e natura inanima depromptae primum tractentur oportere. Itaque ut ex imaginibus ad corpora caelestia pertinentibus initum disputandi capiamus, exhibenda sunt exempla, quorum alia in substantivo, alia in verbo metaphorae speciem prae se ferunt. 7) Ita Sat. I. 7. 24: poeta deterioris notae quosdam homines apud Brutum illum, Caesaris interfectorem, litem habentes lepidissime inducit, quorum alter, ut ipsius poetae verbis utar, „*Solem Asiae Brutum appellat stellasque salubres*

Appellat comites“.

Interdum „astra“ gloriae eximiaeque laudis imaginem praebent, velut Sat. II. 7. 29:

Absentem rusticus urbem

Tollis ad astra levis.

Haec translatio, cui si Graeco verbo uti licet, *ὑπερφύλαξι* inest, et in linguas recentiores irrepsit, vix ut metaphora sentiat. Ceterum cf. C. I. 1, 36.

Praeterea C. III. 15, 6 anum quandam libidinosam, quae amores magis exercere studet quam lanificium, poeta per ludibrium monet, ne virginum usu atque consuetudine utatur suae deformitate pulchritudini illarum tenebras offundat. Scriptum igitur videmus l. l.: . propior desine funeri.

... Inter ludere virgines

Et stellis nebulam spargere candidis.

Quo loco virginum pulchritudo imagine a stellarum candore sumpta haud inepte illustratur. Huc pertinent: C. I, 19, 5: urit me Glycerae nitor

splendentis Pario marmore purius.

C. III, 6, 12 . . . . et adiecisse praedam

Torquibus exiguis renidet.

Parthi Romanis bis iam devictis elati quasi „renidere“ i. e. gaudere dicuntur.

Deinde C. III, 2, 18: virtus

Intaminatis fulget honoribus.

C. III, 16, 31: Fulgentem imperio fertilis Africae

C. IV, 5, 7: (de Augusto) . . . . vultus ubi tuus

Adfulsit populo

C. IV, 11, 5: (De Phyllide puella) . . . . fulges

Huc videntur pertinere: Epist. II, 1, 73:

Inter quae verbum emicuit si forte decorum

C. III, 3, 25: (De Paride) splendet

C. III, 16, 25: contemptae dominus splendidior rei

Epist. II, 2, 111: Audebit, quaecumque parum splendoris  
[habebunt]

. . . verba movere loco

Verbum „nitendi“ his locis invenitur:

C. I, 5, 13: . . . . . miseri, quibus

Intentata nites.

C. I, 33, 4: (ad Albium Tibullum poetam) neu miserales  
decantes elogos cur tibi iunior

laesa praeniteat fide:

C. II, 8, 6: (De puella quadam) . . . . . enitescis

pulchrior multo . . . . .

A. P. 150: . . . . . quae  
desperat tractata nitescere posse, relinquit

A. P. 351: ubi plura nitent in carmine, non ego paucis  
offendar maculis . . . . .

Quibus exaratis iam ad imagines easque plurimas transeo, quae ab igne et flamma depromptae apud poetam nostrum leguntur. Primum occurrunt loci, quibus substantiva „ignis, flamma“ similia pro „amoris vi“ asciscuntur. Veluti

C. I, 13, 8: quam lentis penitus macerer ignibus

C. I, 27, 15: . . . . non erubescendis adurit  
ignibus

C, III, 7, 11: . . . . et miseram tuis  
dicens ignibus uri

C. I, 27, 20: digne puer meliore flamma

Denique addi potest Epod. 11, 27:

Sed alius ardor aut puellae candidae  
aut teretis pueri

Qui metaphoricus usus ad Graecorum exemplar adscitus iam apud prioris aetatis poetas Romanos deprenditur. cf. Lucret. d. r. n. I, 473: ignis Alexandri sub Phrygio pectore gliscens.

Catull. XLV, 15: ignis mollibus ardet in medullis . . . . neque minus in omnium fere linguarum usum receptus est.

Praeterea ignis substantivum pro pugnae furoribus adhibitum duobus locis exstat. Alterum exemplum est

C. II, 1, 8: . . . . et incedis per ignes

Suppositos cineri doloso,

quam dictionem allegoricam e proverbio Graeco πῶρ ὑπὸ τῇ ποδὶ ἀπὸ τοῦ πυρὸς profectam esse liquet. — Alterum

C. IV, 14, 28: impiger . . . . . frementem  
mittere equum medios per ignes.

His exemplis facile adiunguntur verba, urendi, flagrandi, ardendi, torrendi similia eius generis. Quorum usus tralaticius cum sit frequentissimus, haud inepte, opinor, distigui potest hoc modo. Primo transferuntur in corporis dolores, quorum exempla sunt:

De siti Sat. I, 2, 114: Num tibi cum fauces urit sitis aurea  
pocula . . . . ? [quaeris]

De bile Sat. I, 9, 16: meum iecur urere bilis.

De calceo pedem terente Ep. I, 10, 43: ut calceus olim  
. . . . . si minor, uret.

De onere graviore Epist. I. 13, 6:

Si te forte meae gravis uret sarcina chartae

De verberibus Epod. 4, 3: Hibericis peruste funibus latus  
et crura dura compede

Sat. II, 7, 58: Quid refert uri virgis ferroque necari  
auctoratus eas

Epist. I, 16, 47: habes pretium, loris non ureris

Sequitur ut crebriorem eorum verborum vestem translatam pensitemus, qua ad animi motus atque affectus transferuntur. Quarum imaginum tantus invenitur numerus, ut Horatii scripta iis quasi scatere videantur. Velut ad iram spectant haecce:

Sat. I, 4, 48: At pater ardens saevit.

Sat. I, 9, 53: Accendis, quare cupiam magis illi  
proxismus esse.

Epist. I. 2, 13: hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque  
Huc videtur pertinere Epist. II, 1, <sup>13</sup>/<sub>14</sub>:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes  
inter se positas.

Multo frequentiora exstant exempla, quae haec verba ad a-  
morem translata praebent. En habes collecta: Epod. 11, 4: Amo-  
re, qui me . . . expetit

mollibus in pueris aut in puellis urere

Epod. 14, 9: non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo  
Anacreonta Teium

ibid., v. 13: ureris ipse miser

C. I, 6, 9: sive quid urimur

C. I, 13, 9: Uror, seu tibi candidos

C. I, 19, 5: Urit me Glycerae nitor

C. I, 27, 15: iam supra adposui

C. II, 4, 7: arsit Atrides medio in triumpho  
virgine rapta

C. III, 7, 11: dicens ignibus uri

C. III, 9, 6: donec non alia magis arsisti

C. III, 9, 13: me torret face mutua

C. III, 19, 28: me lentus Glycerae torret amor meae

Epis. II, 1, 95: nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum

C. IV, 1, 12: Si torrere iecur quaeris idoneum

C. IV, 9, 13: Non sola comptos arsit adulteri  
crinis . . . . (Helena)

Neque solum homines, sed res etiam inanimae quasi amore  
ardentes depinguntur. Cuius exempla habes

C. II, 12, 25: Cum flagrantia detorquet ad oscula cervicem....

C. II, 8, 15: Ardentes acuens sagittas

Quin amorem ipsum flagrare poeta audacius dicit

C. I, 25, 13: cum tibi flagrans amor et libido  
saeviet circa iecur ulcerosum.

Postremo flagrandi verbum uno loco deprenditur, quo signi-  
ficat idem atque infamia existimationem hominis comedens quasi  
flamma comburens. Exstat

Sa. I, 4, 125: . . . Flagret rumore malo cum  
Hic atque ille

Huc et extinguendi verbum spectare consentaneum est. Cuius-  
usus translatus apud prosae orationis scriptores poetasque Romanos  
saepissime occurrit sermonisque Latini peculiaris est. Apud Hora-  
tium bis in mortem transfertur.

C. III, 4, <sup>26</sup>/<sub>27</sub>: devota non exstinxit arbor  
Epist. II, 1, 14: . . . exstinctus amabitur idem.

Iis adnumeranda sunt:

C. II, 11, 18: . . . quis puer ocus

Restinguet ardentis Falerni

Pocula praetereunte lympha?

Quo loco vinum Falernum cum ignis ardore suaviter comparat, cuius flammae aqua extinguantur necesse est. Tum poeta non sine ludibrio puellam quandam, quae amoris stipendia meruerat,

C. IV, 13, 28: „dilapsam in cineres facem“ appellat.

Kiesslingius, summo ingenio vir, in commentario suo lepidissimae doctrinae pleno ad hunc locum adnotat eandem inesse imaginem in Anthol. Pal. XII, 41:

ὀνέτε μοι Θήρων γράφεται καλὸς οὐδ' ὁ πυραυγῆς  
πρὶν ποτε, νῦν δ' ἤδη θαλὸς, Ἀπολλόδοτος.

Ut finem enumerandi faciam, adponere liceat exemplum, cuius color metaphoricus vix iam animadvertitur. Exstat Epod. II, 41: aut perusta solibus

pernicis uxor Appulli (cf. polon.: opalony słońcem).

Restat, ut in ipso fine allegoriam unam huc pertinentem adferam. Est enim A. P. 143:

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Cogitat.

Quibus versibus monet Horatius, ne poetae in initio carminum multa magnaue polliceantur, sed perpaucis praemissis ut in posterioribus partibus lectorum animos oblectent et deleniant.

Imaginibus ab hoc rerum genere petitis facile adnectitur usus translatus vocabulorum, quibus significatio inest, aestus, caloris, frigoris, aliorum huius generis. Qui cum creberrimus sermonisque Latini proprius sit, tamen haud raro inveniuntur translationes, quae in poetarum magis dicendi genus videntur quadrare. Ita substantivo aestus altero loco libidinum, altero irarum significatio inhaeret

Sat. I, 2, 110: . . . speras tibi posse dolores

Atque aestus graves... e pectore tolli?

Ep. I, 2, 8: Fabula

Stultorum regum et populorum continet aestus.

His addendus est locus: C. I, 16, 24:

. . . Me quoque pectoris

temptavit in dulci iuventa



fervor et in celeres iambos  
misit furentem

Fervore amoris vis significatur. Item C. IV, 9, 11:

Vivuntque commissi calores  
Æoliae fidibus puellae

Calores enim idem valent atque carmina amatoria.

Deinde verba, „fervendi, calendi, tependi“ eadem vi metaphorica sunt praedita atque urendi, flagrandi alia, quorum supra facta est mentio. In initio igitur profero exemplum, ex quo poetae nostri indoles subtilissime ac venustissime distinguendi cognoscitur. Exstat: C. I. 4, 19:

Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus  
nunc omnis et mox virgines tepebunt

Ad quem locum Nauckius haud inepte adnotat: Tepebunt (zärtlich fühlen) ist zarter als das von den Jünglingen gebrauchte calere. Eine gleich rücksichtsvolle Unterscheidung finden wir bei Platen:

Er weiss, dass nach Aeonen noch,  
Was sein Gemüt erstrebet  
Im Mund *verliebter* Jünglinge,  
*Geliebter* Mädchen lebet.

Sequitur C. IV, 11. 33: non enim posthac alia calebo  
femina.

Eodem spectant: Ep. II, 1, 108 . . . et calet uno  
Scribendi studio

C. III., 21, 12 . . . prisci Catonis  
Saepe mero caluisse virtus

Et irae imago semel inde petitur Sat. I, 2, 71 :  
mea cum conferbuit ira

Tum frigoris vox — id quod calori oppositum est — per paucis locis translata vi deprenditur in Sat. II, 1, 62:

metuo, et maiorum ne quis amicus  
frigore te feriat.

Quo loco frigus pro difficultate quadam morum adsciscitur.

Sat. II, 6, 50: frigidus a nostris manat per compita rumor  
ubi adiectivum „horridi“ colorem prae se fert.

Denique huc videtur pertinere translatio, quae exstat in C. IV. 13, 12: . . . . . quia rugae

Turpant et capitis nives  
quam Quintilianus\*) iam ut duram et a loginqua similitudine ductam  
haud immerito vituperavit.

His enumeratis iam vero ad „lucis, noctis, tenebrarum, nu-

\*) VIII, 6, 17.

bium“ notiones transeo. Quarum exempla videmus: C. IV, 5, 5: lucem redde tuae, dux bone, patriae. Quo loco „lux“ pro „salute“ ponitur. Caesare enim absente quasi lucem patriae deesse poeta dicit. Huic exemplo adserendus est locus C. IV, 4, 40:

. . . . . et pulcher fugatis  
ille dies Latio tenebris.

Devicto enim Hasdrubale tenebrae, quibus res secundae populi Romani adhuc tamquam obrutae erant, diffugerunt. — Noc-  
tis vox metaphorice usurpatur his locis:

C. I, 28, 15: sed omnis una manet nox

C. IV, 9, 27: sed omnes inlacrimabiles

urgentur ignotique longa nocte.

Utroque loco „nox“ idem valet atque mortis nox aeterna.

Alio loco, deos futuro tempori tenebras offundere hac sententia suavissima exprimit Horatius.

C. III, 29, <sup>29</sup>/<sub>32</sub>: Prudens futuri temporis exitum

*Caliginosa nocte* premit deus

Adiectivum „obscurus“ hoc modo transfertur:

C. I, 34, 14: . . . insignem attenuat deus

*obscura* promens

C. II, 5, <sup>23</sup>/<sub>24</sub>: discrimen *obscurum* solutis

Crinibus ambiguoque voltu.

Altero loco „obscurum“ idem significat atque „parvus“, „exiguus“, altero vis metaphorica vix iam sentitur.

In ipso fine imaginum ex hoc rerum gyro sumptarum apponamus exempla, quae nubium et nebulae vim translatam praebent.

Atque C. III, 15, 6: Et stellis *nebulam spargere* candidis  
Simili modo Epist. I, 16, 62: noctem peccatis et fraudibus *obice nubem*. Kiesslingius l. l. fabulas illas Homericas, in quibus viri fortissimi favente deo nubibus velari soleant, hoc loco ad ludibrium detorqueri censet. Equidem hanc rem in medio relinquere maluerim. — Deinde Epod. 13, 5:

*obducta* solvatur *fronte* senectus

quasi senum frons morositate deformis nube obducta sit. Item Epist. I, 18, 94: deme supercilio *nubem*

pro severitate, quae oculorum obtutu potissimum conspicitur, adhibitum ad exemplaria Graeca revocari potest, velut Sophocl. Antig., 528: νεφέλη ὑπὲρ ὀφρύων

Eurip. Hippolyt., 173: στρυγὼν ὀφρύων νέφος.

Postremo ex ordine nobis constituto unam, quae huc spectat, allegoriam ut adponamus, reliquum est. A. P., 230:

• Ne . . . . .

*dum vitat humum, nubes et inania captet.*

Quo loco nubes et inania significant: audaciore sermone et grandiore spiritu uti.

Haec exempla omnia fere ex hoc rerum orbe sumpta apud Horatium exhibentur. Quod si ita est, ad huius capitis alteram partem transeamus.

## §. 2.

### De rerum in terra conspicuarum usu translato.

Terrae ipsius notio metaphorica vice adhibita nusquam apud Horatium reperitur exceptis sane exemplis, quae specie humana eam indutam praebent. Humi autem vocabulo, dum ab Horatio metaphorice usurpatur, semper exilius quoddam dicendi genus significari solet. Velut

Epist. II, 1, 251; . . . . . nec sermones ego malletm

*Repentis per humum* quas res componere gestas

A. P. 28. *Serpit humi* tutus nimium

*ibid.* 230. *Dum vitat humum*, nubes et inania captet.

Saepe numero viae atque itineris voces colore tralaticio imbutas videmus. Sat. I, 6, 94; . . . si natura iuberet

A certis annis *aevum remeare peractum*,

tamquam vita humana iter quoddam esset. Eodem revocandi sunt loci:

C. I, 28, 16: et calcanda semel *via leti*

C. II, 17, 11: utcumque praecedes, *supremum*  
*carpere iter* comites parati.

Harum translationum origo vetustissima videtur esse; cf. Sophocl. Antig. 807: 'Ορᾶτ' ἐμ', . . . τὰν νεάτην ὁδὸν στρέψουσαν. Raumer l. l. multis huius usus Lucretiani exemplis allatis monet et Germanos hac imagine saepissime uti. (cf. „Lebensweg, Lebenspfad“\*). Sequitur, ut exempla percenseam, ex quibus patet itineris notionem metaphorice adumbrari, si quem imitationi esse aliis velimus exprimere. Atque Epist. I, 19. 21: *Libera per vacuum posui vestigia princeps,*  
*non aliena meo pressa pede*

Qui locus ad Horatii indolem iudicandam magni est momenti. Negat enim poeta in epodis Archilochum, Alcaeum in carminibus sibi ita imitationi fuisse, nihil ut ipse faceret nisi in sermonem Latinum converteret, verum sola forma a Graecis recepta omnia

\*) cf. nostrum: droga życia, żywota.

per se felicissime inventa suaque propria ac peculiaria quasi urbi et orbi pronuntiat. Ceterum de hac re in fine huius opusculi uberius disputabitur.

Deinde Epist. II, 2, 80:

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos  
vis canere et *contracta sequi vestigia vatum*

Verba ea significant: magnos poetas imitari; ad quos cum sit aditus angustus, inter strepitum urbis eniti non possum. Eodem pertinet A. P. 268: *vestigia Graeca ausi deserere*.

Tum viae notio imagine a philosophis Graecis repetita ad morum condicionem transfertur; pro „honesto“ enim recta via, „curvata“ pro „turpi“ ponitur. Cuius exempla sunt:

Sat. II, 5, 78: quam nequiere proci *recto* depellere *cursu*.

C. III, 10, 16: nec vir Pieria pelice saucius

*curvat* [-a recta via non declinat, fidem praestat.]

Eadem fere imaginandi ratione aditum ad virtutem difficilem esse dicit poeta cum attributi inversione quadam

C. III, 24, 44: *virtutisque viam* deserit *arduae*.

Ep. I, 20 28: collegam Lepidum, quo *duxit* Lollius anno Hoc loco detecte cavillatur Lepidum, qui post varia, ut dicunt, discrimina verum consul suffectus est a. U. c. DCCXXXIII. — His adnectendum videtur esse adiectivum arduus, quod proprium est montium, metaphorice imbutum semel res adversas significat Velut in sententia illa

C. II. 3, 1: Aequam memento *rebus in arduis*

servare mentem . . .

Simili modo „praeceps“ adiectivum cum translatione quadam idem valet atque periculum in Sat. II, 3293: . . . . . casus medicusque levavit

aegrum ex *praecipiti*.

Eodem spectat „barathri“ vocis a Graecis petita<sup>2</sup> usus translatus utroque loco per iocum ac ludibrium adscitus. Velut

Sat. II, 3, 166: . . . Quid enim refert, *barathrone*

*dones* quidquid habes

Dictio „barathro donare“, quae valet, rem familiarem effundere, sermoni vulgari adscribenda est.

Ep. I, 15, 31: perniciēs et tempestas *barathrumque* macelli H. C. Maenius quidam barathrum macelli haud infacete vocatur, quod omnes macelli merces in eius ventre quasi in voragine quadam evanescent.

Porro „lustrum“, quod proprie ferarum latebras significat,

transfertur in lupanar, quasi libidinis pravae latibulum Sat. I, 6, 68: . . . . . nec mala *lustra*

obiciet vere quisquam mihi, . . . .

Postremo ventorum flatus apud Horatium cum venustate quadam haud raro depingitur. Inconstantiae ac levitatis imaginem esse ventos uniuscuiusque fere linguae proprium est; neque poetam nostrum ab hoc usu abhorrire haec exempla docent;

C. I, 5, 11: qui . . . te . . . semper amabilem  
sperat nescius *aurae fallacis* . . . .

C. III, 2, 20: arbitrio *popularis aurae*

Epist. I. 19, 37: Non ego *ventosae* plebis suffragia venor.  
Huc videtur pertinere exemplum, per quod ad ea, quae sequuntur, quasi delabi possumus. Exstat

C. II. 8, 23: Te metuunt . . . .  
: . . tua ne retardet  
*aura* maritos

H. I. „aura“ ventum secundum significat, qui, sicut in navigatione, animos addere solet. — Tum et secundae res et adversae imagine a ventis sumpta exprimuntur.

Epist. I, 2, 102: hoc paces habuere bonae *ventique secundi*

Epist. II, 2, <sup>201</sup>/<sub>202</sub>: non agimur tumidis velis *aquilone secundo*,  
non tamen adversis aetatem ducimus austris.

Quae translatio et apud Cic. Epist. ad Att. II, 16. deprenditur:  
Quid si etiam Caesarem, cuius nunc venti valde sunt secundi . . . . — In hominem transfertur Sat. II, 8, 83:

Ridetur fictis rerum *Balatrone secundo*

A. P. 28: Serpit humi tutus nimium tumidusque *procellae*  
„Procella“ pro periculo ponitur. His adnumerandum est:

Epist. I, 15, 31; pernicies et *tempestas* barathrumque macelli  
Denique translatio a ventis ducta sentitur in

C. I, 25, 13: cum tibi flagrans amor et libido *saevit* circa  
iecur ulcerosum.

Qu. I. libidines quasi venti per animum flantes saevire ornatus dicuntur.

His pertractatis iam ad imagines celeberrime usitatas, quae ex aqua petuntur, accedere oportet. Quarum cum series sit maxima, paragrahum novam instituere collibuit.

### §. 3.

**Imagines ab aquae variis formis profectae.**

In hunc rerum orbem inquirenti primum longe maxima illa terrae nostrae pars obversatur, quam dicimus mare. Cuius undae



cum fluctuare numquam fere desistant, haud invenuste ad inconstantiae ac varietatis imaginem depingendam sumuntur. Velut

C. I, 5, 7: . . . . . et aspera  
nigris *aequora* ventis  
emirabitur . . . . .

i. e. animum puellae immutatum mirabitur.

Epist. I, 1, 99: Aestuat et. vitae disconvenit ordine toto (scil. sententia). „Aestuare“ et in prosa oratione usitatum est. cf. Cicero, in Verr. II, 30, 70: itaque aestuabat dubitatione; Quintil. X, 7, 33: sic anceps inter utrumque animus aestuat.

Sequitur, ut congeramus exempla, quae maris imaginem pro periculis usitatam praebent. Atque

C. II, 7, 15: te rursus in bellum resorbens  
*unda fretis tulit aestuosus*.

C. II, 10, 1—4: Rectius vives, Licini, neque *altum*  
semper *urgendo* neque, dum procellas  
cautus horrescis, nimium *premendo*  
litus iniquum.

H. I. allegoria potius videtur subesse. Vitam sortemque humanam cum mari eiusque periculis comparare Horatius ad-amavit, sicut multa exempla docent. C. I, 5, 13; C. I. 34, 3; C. III, 2, 28; C. III, 29, 62; Epist. II, 2, 202, quorum altera iam excussa erant, altera maximam partem in imaginibus ad navigationem spectantibus congerentur. Praeterea in Epist. I, 1, 46:

*Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes*

Denique huc videtur pertinere

C. IV, 4, 76: . . . . et curae sagaces  
expediunt *per acuta belli*

Qu. I. maris scopulos saxaque periculorum imaginem praebere liquet.

Tum demum mare procellosum ventisque agitatum saepenumero animi perturbationum et cupiditatum speciem oculis nostris proponit. Cuius usus exempla haec sunt:

Epod. 11, 15: quodsi meis *inaestuct* praecordiis  
libera bilis.

C. IV, 3, 8: quod regum *tumidas* contuderit minas  
„tumidus“ de undis praecipue usitatum.

Ep. II, 1, 47: civilisque rudem belli tulit aestus in arma

Ep. II, 2, 85: *fluctibus in mediis* et tempestatibus urbis  
A maris aestuosi fluctibus subsidentibus desumitur.

C. III, 3, 30: nostrisque ductum seditionibus  
*bellum resedit*.

Postremo „mersandi“ verbum iam antiquitus metaphorice usitatum ter legitur.

C. III, 16, 119: . . . concidit auguris  
Argivi domus ob lucrum  
*demersa* exitio

Ep. I, 1, 16: nunc agilis fio et *mensor civilibus undis*

Ep. I, 2, 22: . . . adversis rerum *immersabilis undis*. „Immersabilis“ adiectivum, quod respondet Graeco „ἀβύπυστος“, ab Horatio inventum est. Verbi autem usum translatum vetustissimum esse patet ex his: Terent. Andr., III, 3, 30; ex illis malis sese emersurum. — Lucr. III, 63: ad summas emergere opes; III, 827; in nigras lethargi mergitur undas [scil. animus]. — Catull. LXVIII, 13: qui merser fortunae fluctibus ipse.

Iam transeamus ad alterum aquae genus, flumina, rivos, fontes dico, quorum usus methaphoricus in sermone Latino neque minus apud Horatium frequentissimus est. Fontis vocem sicuti apud Graecos „πηγή“ initii vel auctoris vim translata haud raro prae se ferre haec exempla docent:

Sat. II, 4, 94: at mihi cura . . . inest *fontes* ut adire *remotos*  
atque *haurire* queam vitae praecepta beatae

C. III, 6, 19: *hoc fonte derivata* clades  
in patriam populumque *fluxit*.

Ep. I, 3, 10/11: *Pindarici fontis* qui non expalluit *haustus*  
*fastidire lacus et rivos ausus apertos?*

cf. Callim. epigr. 28: οὐδ' ἀπὸ κρήνης πίνω. ~~συχάλω~~ πάντα τὰ δημόσια.

De Pindaro similem imaginem exhibet Quintil. X, 1, 109:

Non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas, sed vivo gurgite exundat. — H. I. Titius quidam deterioris notae poetas aspernatus ipsum Pindarum aemulari celebratur. Quae imago Callimachi illud epigramma resipere videtur; neque dubitari potest, quin hic locus Horatianus Quintiliano similis imaginis promendae ansam dederit. Martialem quoque ad poetae nostri exemplar hac imagine usum esse cognoscas ex epigr. IV, 100, 9:

Multum, crede mihi refert, a fonte bibatur,  
quae fluxit, an pigro quae stupet unda lacu.

Deinde multo frequentiores methaphoras enumerare par est, ex quibus patet a fluminibus copiae et uberatatis imaginem duci. Ita

Sat. I, 1. 55: . . . . . *magno de flumine* mallet  
quam *ex hoc fonticulo tantundem sumere*

Sat. I, 7, 28: Tum Praenestimus salso multoque fluenti . . .  
regerit convicia . . . .

Sat. I, 4, 11: cum *fluere lutulentus*, erat quod tollere velles.

Sat. I, 10, 9: . . . . . ut *currat sententia*, neu se  
impediat verbis lassas onerantibus aures.

Sat. I, 10, 50: At dixi *fluere hunc lutulentum*, saepe ferentem  
plura quidem tollenda relinquendis

C. I, 17, 15: hic tibi *copia*  
*manabit*

C. II, 19, 10: vinique *fontem lactis et uberis*  
cantare *rivos*

cf. Eurip. Βακχ., 141: εὐνὴ ῥεῖ δὲ γίλακτι πᾶσον. ῥεῖ δ' ὄνῳ, ῥεῖ δὲ  
μελλίτσαν νεκτρῷ

C. IV, 2, 7-11: *fervet immensusque ruit profundo*  
Pindarus ore.

. . . . .

seu per audaces nova dithyrambos  
verba *devolvit* numerisque *fertur*  
lege solutis.

Tum flumina extra ripas effusa methaphorico colore imbuta  
apud Horatium inveniuntur; velut

Sat. I, 5, 16: multa *prolutus* vappa nauta

Sat. II, 5, 89: cautus adito: . . . .

neu desis operae, neve immoderatus *abundes*

C. I, 28, 28: . . . . . multaue merces  
unde potest tibi *defluat* aequo.

Interdum aquae in pristinas ripas delapsus translate adumbratur, cuius exempla habes.

Sat. I, 3, 31: rusticius tonso toga *defluit* . . . .  
de vesta male apta.

Ep. II, 1, 158: *defluxit* numerus Saturnius et grave virus.  
Sicut aqua defluens, ita metris Graecorum adscitis versus Saturnius  
evanuit. — Sequitur, ut imagines a fluminum celeritate, qua  
fluunt, petitas percenseam. Exempla sunt:

Sat. II, 6, 50: Frigidus a rostris *manat* per compita rumor

C. II. 14, 1: Eheu fugaces Postume, Postume,  
*labuntur* anni . . .

C. III, 27, 28: *pronus* Orion

C. IV, 6, 39: . . . . *pronos*  
volvere menses

A. P., 60: Ut silvae foliis *pronos* mutantur in annos. Omnibus  
locis „pronus“ idem valet atque „prono cursu labens“.

A. P. 217: et tulit eloquium insolitum facundia *praeceps* „Praeceptum“ et celerrimum cursum et audaciam depingit.

Ad finem properanti restat, ut quomodo fluminum claritas atque perspicuitas metaphoricè exprimatur, demonstramus. Atque Epist. I, 12, 9: . . . . . ut te

confestim *liquidus* Fortunae *rivus* inaret  
qui locus Pactolum flumen videtur redolere, quod et apud Romanos in proverbium abierat.

Tum Epist. II, 2, 120: *veniens* et *liquidus* puroque simillimus amni  
*fundet* opes Latiumque beabit divite lingua  
Maioris audaciae mataphora exstat

C. I, 24,  $\frac{3}{4}$ : . . . . . cui *liquidam* pater  
*vocem* cum cithara dedit.

Clara enim vox simili atque aqua modo „liquida“ nominatur;  
cf. Lucret. IV, 545/46: cum liquidam tollunt lugubri voce querellam  
Catull. LXIII, 46: liquida mens.

Porro allegoriam ex hoc rerum orbe petitam adpono; videmus

Sat. I. 1. 59: *Atqui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo  
turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis.*

Quae allegoria quid sibi velit, a Schützio optime explicatur in commentario: Wer aus dem Strom trinkt, bekommt unreines Wasser und kann obenein, indem er sich über das Ufer hinab-bückt, mit dem losgerissenen Ufer weggeschwemmt werden; so ist der Genuss des Habsüchtigen von Sorgen und Mühen getrübt und dazu läuft er mitten im Genusse grössere Gefahr.

His expositis haud alienum a proposito videtur adiungere translationes in universum a liquoribus sumptas. In his imprimis respicienda sunt verba haecce: „manare“, stillare, scatere, fundere, spargere, lavere, madere, eluere; deinde eodem nonnulla adiectiva spectant. Atque percenseamus exempla. C. I, 17, 15: hic tibi copia  
*manabit ad plenum* benigno  
. ruris honorum opulenta cornu

Ep. I, 19, 44: . . . fidis enim *manare poetica mella*  
te solum . . . . .

A. P. 337: Omne supervacuum pleno de pectore *manat*.  
Huius verbi vestis tralatitia, sicut omnium fere verborum ad hunc gyrum pertinentium ad priscos testes revocari potest. Raumer I. 1. ex unius Lucretii libris manandi exempla exhibet novem. Quin etiam Ep. I, 19, 44: Homerus ipse pater exemplo fuit, qui in II.

I, 249 Nestorem illum, senem sapientissimnm, melle dulcius locutum esse suavissime induxit. — Deinde stillandi verbum exstat

Ep. I, 18, 16: praeceptum auriculis hoc *instillare* memento  
A. P. 429; super his etiam *stillabit* amicis  
ex oculis *rorem*

H. I. „stillare“ de lacrimis dictum coloris metaphorici vix quidquam videtur retinuisse. Praeterea „lacrimae“ oculorum ros appellantur, id quod postea Ovidio imitationi fuisse verisimile est in Metam. XIV, 708: madidas lacrimarum rore coronas postibus intendit — Sequitur „scatendi“ usus unico loco probatus

C. III, 27, 26: et *scatentem*  
*beluis pontum* . . .  
palluit audax.

cf. Lucr. V, 39: Terra ferarum . . . scatet V, 595 alia.

Tum „fundendi“ exempla profero.

Ep. II. 1, 146: versibus alternis *opprobria rustica fudit*.

A. P. 352: . . . . . non ego paucis  
offendar maculis, quos aut *incuria fudit*

Cuius verbi usum translatum a priscae aetatatis poetis non alienum fuisse patet ex Ennii Annal. frg. 337. [V.] inde loci lituus sonitus effundit acutos. — Praeterea „spargere“ duo praebet exempla:

Sat. I, 4, 87: ex quibus unus amet quavis *adspergere* cunctos

C. II. 15, 7: myrtus et omnis copia marium  
*spargent olivetis odorem*

Totidem locis „lavere“ invenitur.

C. II, 3, 18: villaque flavus quam Tiberis *lavit*

C. III, 12, 3; *mala vino lavere*

Simili modo „eluere“ maiore cum audacia ad vini cadum arcessitur, velut

C. IV. 12, 17: . . . . . eliciet cadum  
qui nunc Sulpiciis accubat horreis  
. . . . . *amaraque*  
*curarum eluere efficax*

Raumer comparato hoc loco Horatiano cum duobus ex Lucretio allatis IV, 375: terra . . . repletur nigrasque sibi abluit umbras; IV, 872/73: sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro abluitur—verbi huius rationem translata haud parum profecisse recte observavit. Denique „madere“ lepidissime Horatius utitur

C. III, 21, 9: quamquam *Socraticis madet*

*sermonibus* [cf. Germ. er „trieft“ von Weisheit]



Tum demum adiectiva ut adponamus superest. En sunt:

C. I, 7, 22: . . . . tamen *uda* Lyaeo

*tempora* . . . fertur vinxisse corona

C. IV, 5, 39: *sicci* mane die, dicimus *uvidi*

Uterque locus sane ad vinum est referendus.

Priusquam ad huius rei finem perveniam, non praetermittendum existimo adiectivum, quod maiore cum audacia ab Horatio metaphorice videtur adumbrari. Exstat

C. I, 19, 8: . . . . . urit grata protervitas

*et voltus nimium lubricus adspici.*

Adiectivum id blandi, illecebris capientis colorem prae se fert, quoniam quodcumque humidum atque madidum est, idem et lubricum fit; imago autem arcessita ex loco humido ideoque lubrico, qui sicut euntium pedes labefactat, ita et Glycerae puellae facies illecebris suis adulescentes captat et tamquam collabefacit.

Postremo imagines a palude atque caeno petitas exhibeo. Atque Epod. 17, 46: nec *paternis obsoleta sordibus.*

Sat. II, 7, 27: nequiquam cupiens *caeno evellere plantam*

Quae metaphora a vulgari potius dicendi genere non videtur abhorre; cf. Terent., Phorm. V, 5, 15: in eodem luto haesitas.

Translationibus expeditis ex ordine nobis constituto allegorias ex hoc orbe depromptas adponere par est. Prae ceteris amplissimas imagines respiciendas esse puto, quibus specie portentosae tempestatis et insoliti in rerum natura tumultus deplo-ratur ingens per bella civilia clades, ostenditur imperio Romano ruinam impendere. Dico

C. I, 2, 1-20: *lam satis terris nivis atque dirae*

*grandinis misit pater et rubente*

*dextera sacras iaculatus arces*

*terrui urbem, et qu. s.*

De carminis illius argumento atque indole conferas ea, quae Dillenburger fusius disseruit, deinde, quae Gebhardius docet in libro, qui inscribitur. Ein aesthetischer Kommentar zu den lyrischen Gedichten des Horaz\*) pag. 50 et 51.

li, omnes fere sunt loci Horatiani ad hanc materiam revocandi. Exemplorum magna serie demonstratur, quantus quamque frequens sit Horatii usus metaphoricus ex hac rerum ratione tractus. Neque mirum. Nam quicumque huius rei studiosior est, is non solum virorum doctorum auctoritatem secutus, velut Nae-

\*) 2. wyd. Paderborn, 1904.

gelsbachi illius, verum suo potissimum iudicio nisus haud dubie eam linguae Latinae observavit naturam, qua trahi quodam modo videretur, ut quam liberalissime voces ex hoc orbe sumptas vestelalaticia indueret. Id quod exemplis undique congestis hoc loco confirmare longum absque proposito alienum est. Quae cum ita sint, transeamus oportet ad paragraphum quartam, qua novi rerum orbes illustrabuntur.

#### §. 4.

##### Imagines a coloribus metallisque petitae.

In hanc materiem inquirenti primum obviam fiunt loci ipsam coloris notionem metaphorice immutatam praeberentes. Atque exstant

Sat. II, 1, 60: quisquis erit *vitalae* scribam *color*

A. P, V. 86: descriptas servare vices *operumque colores*

A. P, 236: nec sic enitar *tragico differre colori*

C. II, 2, 1: Nullus argento *color* est avaris  
abdito terris.

Verbo inhaeret C. II, 1, 35; . . . . . quod mare Daunia non  
*decoloravere* caedes

H. I. translatio audacius adscita ad totius carminis argumentum grande atque excelsum aptissime accommodata est.

Sequuntur colores varii, ut, albus, candidus, niger, ater alii Colore albo aut candido res secundas, adversas atro aut nigro significari apud Romanos vetus mos erat. Videmus igitur multa eius usus exempla apud vatem Venusinum exhibita. Atque

C. I. 12, 27: quorum simul *alba* nautis  
*stella* refulsit

C. III, 7, 1: Quid fles, Asterie, quem tibi *candidi*  
primo restituent vere *Favonii*

Sat. II, 1, 58: seu mors *atris* circumvolat *alis*

Sat. I, 9, 73: . . . . . huncine *solem*  
tam *nigrum* surrexe mihi

Sat. II, 6, 32: . . . . . at simul *atras*  
ventum est *Esquilias* . . .

Sat. II, 7, 115: nam *comes atra* premit sequiturque fugacem

C. I. 5, 7: . . . . . et aspera  
*nigris* aequora *ventis*

C. III, 14, 13: hic dies vere mihi festus *atras*  
exiget *curas*

C. IV, 11, 35: minuentur *atrae*  
carmine *curae*

Epod. 10, 5: *niger rudentis eurus inverso mari*  
tractosque remos differat . . .

Utrumque adiectivum legitur.

Epist. II, 2, 189: *genius* . . . . . mortalis in unum  
quodque caput voltu mutabilis, *albus et ater*.

Simili ratione usurpatur

Sat. II, 3, 246: . . . . Sanin' *creta, an carbone notati*? Quo  
loco translatio in proverbium videtur cecidisse significans: „utrum  
sanis an insanis adnumerandi sint“. Et Persius Flaccus, satirarum  
ille scriptor, qui Horatium multis locis imitatus est, exhibet Sat.  
V, 108: Illa prius nota mox haec carbone notasti.

C. I, 36, 10: *cressa* ne careat pulchra dies nota.

Interdum „candidus“ aut „niger“ adiectiva ad animi mo-  
rumque integritatem aut malitiam transferuntur, sicut patet ex  
exemplis:

Sat. I, 5, 41: *animae*, quales neque *candidiores*  
terra tulit.

Sat. I, 10, 86: . . . . . *candide Furni*

Sat. I. 4, 85: . . . *hic niger est*. hunc tu, Romane, caveto  
cf. Cicero. pro Caecina, 10: Sex. Clodius, cui cognomenest Phor-  
mionec minus niger . . . quam ille Terentianus cf. nasz czarny  
charakter]

Sat. I, 4, 101: *hic nigrae* sucus lolliginis . . . est

Epist. I, 19, 30: . . . quem *versibus oblinat atris*

Sequitur, ut rubri coloris exempla proferamus. Atque

C. I, 27, 15: non *erubescendis* adurit *ignibus* qu. l. erubescere  
idem valet atque nostrum, rumienić się, germ. „erröten“.

C. II, 12, 3: . . . nec *Siculum mare*

Poeni *purpureum* sanguine

Deinde color „lividus“ duobus locis invenitur.

Sat. I, 4, 93: *lividus* et mordax tibi videor

C. IV, 9, 33: Non. . . .

totve patiar tuos labores

Impune, Lolli, carpere *lividas*

obliviones

Utroque loco invidia depingitur.

Tum demum nonnulla verba tractanda videntur, quae ad  
colores revocari possunt. En habes exempla:

C. III, 6, 18: fecunda culpa saecula nuptias

primum *inquinavere* et genus et domos

Epist. I, 7, 10: quodsi bruma novis Albanis *inlinet* agris.

Epist. I, 10, 7: musco *circumlita* saxa nemusque

Epist. I, 19, 30: . . . quem versibus oblinat atris

Epist. II, 1, 204: divitiaeque peregrinae, quibus *oblitus* actor  
cum stetit in scaena . . .

C. IV, 5, 21: nullis *polluitur* casta domus stupris

Quibus enumeratis liceat nobis nonnulla excutere exempla metallorum et aeris usum metaphoricum illustrantia. Initium igitur capiamus a metallis in terrae visceribus abditis, quorum venae in poetarum ingenia transferuntur. Atque

C. II, 18, 10: At fides et ingeni  
benigna *vena* est . . .

A. P. 409: nec studium *sine divite* vena

Ab aere autem, cui firmitatis imago saepissime inest, haec imagines arcessuntur :

C. I. 3, 9: illi *robur* et aes triplex  
circa pectus erat

C. I, 33, 11: sub iuga *aenea*

C. III, 3, 65: ter si resurgat murus *aeneus*

C. III, 9, 18, diductosque iugo cogit *aeneo*

C. III, 16, 1: Inclusam Danaen turris *aenea*

Epist. I, 1, 60: . . . . . hic murus *aeneus* esto :  
nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Deinde „aurum“ his exemplis demonstratur.

C. II, 10, 5: *auream* quisquis mediocritatem  
diligat . . .

C. IV, 2, 23: . . . . . moresque  
*aureos* educit in astra

Id adiectivum iam Lucretius et Catullus potestate translata us truxerunt, cf. Lucr. III, 12: aurea dicta; Lucr. V, 461. Catull. LXI, 95 „vide ut faces aureas quatiunt comas“. Plautus vero nondum adhibuit translate. Tum plumbum uno loco gravis ponderis imaginem praebet [cf. nostrum, ołowiany, germ. „bleischwer“].

Sat. II, 6, 18: nec mala me ambitio perdit nec *plumbeus*  
[Auster

Porro C. I. 6. 12: . . . . . musa vetat  
laudes egregii Caesaris et tuas  
culpa *deterere* ingeni.

„Deterere“ h. l. valet imminuere, corrumpere; imago a metallis est arcessita, quae detrita deteriores fiunt.

Postremo aliquot imagines ab aerugine ductae occurrunt.

Sat. I, 4, 101: . . . . . haec est  
cum aerugo mera

A. P. 330: . . . . haec animos *aerugo* et cura peculi  
cum semel *imbuerit*

„Aerugo“ utroque loco invidiam significat, qua animi sicut aerugine metalla consumuntur. Imago igitur circuitu quodam usa a propria notione in „venenum“ transmigravit, a „veneno ad „invidiam“ desiluit. cf. Aeschyl. Agamemnon, 798: δόσφρων ἰός; Martialis, Epigr. X. 33, 5: viridi tinctos aerugine versus.

Sed de imaginibus a natura inanima petitis satis dixisse me puto. Itaque ad percensenda exempla a naturae rebus animo praeditis deprompta transeo.

## II. Natura animo praedita.

### §. 5.

#### Imagines a plantarum natura et conditione petitae.

Naturae res animatas antiquitus iam in plantas, quae vita quidem praeditae, tamen per se ipsas suaeque sponte moveri non possint, et animalia, quae sua vi moveantur, distingui solere inter omnes constat. Quae cum ita sint, hac distinctione retenta eundem in tractando ordinem secuti primum de plantis agemus. Atque prae ceteris arbores aliquot locis imaginum esse fontem videmus; velut quercus

C. I, 3, 9: illi *robur* et aes triplex

C. IV, 13. 9: importunus enim transvolat *aridas*  
*quercus* . . . . .

Altero loco constantiae atque audaciae, ut inter metalla aes, altero anus cuiusdam flaccidae imaginem praebet.

Porro res vilissima nulliusque momenti cassa nux vocatur

Sat. II, 5, 36: . . . eripiet quiquis oculos mihi quam te  
contemptum *cassa nuce* pauperet . . .

Transeo ad imagines a plantis minoribus arcessitas.

Atque Sat. I, 2, 13; adde huc quod mercem *sine fuco* gestat.

„Fucus“, vernaculo sermone „lakmus“, ex quo color ruber eliciebatur, imaginem praebet fraudium ac simulationis. Sed fieri etiam potuit, ut Horatii temporibus notio genuina huic voci subiecta iam deperierit, derivata evaserit.

Sequitur

Sat. II, 3, 82; *Danda est ellebori multo* pars maxima avaris scilicet ut avaritiae eorum medeamur tamquam insaniae, quae apud veteres elleboro sanari solebat.



Tum C. I, 1, 29; me doctarum *hederae praemia* frontium. Denique perpaucas minoris suavitatis metaphoras a vino sumptas hic apponere visum est. Velut

Sat. I, 1, 104: . . . . . non ego avarum  
cum veto te fieri, *vappam* iubeo ac nebulonem

Sat. I, 2, 12: Fufidius *vappae famam* timet ac nebulonis „Vappa“ propria notione valet idem ac vinum corruptum, metaphorice hominem ebriosum, vinolentum significat.

Sat. I, 7, 32: at Graecus, postquam est. *Italo perfusus aceto*. Cuius vocis usum translatum sermonis Latini tamquam medullis infixum esse liquet ex Plaut. Pseudol. II, 4, 49: ecquid autem habet homo aceti in pectore? Huc videtur pertinere

Sat. I, 7, 1: Proscripti Regis Rupili *pus atque venenum*. Quo loco Homeri illud η, 167.; „ἱερὸν μένος Ἀλκινόω“ ad ludibrium apparet detortum.

Ep. II, 158: . . . . . et *grave virus*  
munditiae pepulere  
quoniam venena praecipue ex plantis fieri solebant.

Supersunt verba, quae propria notione de plantis adhibita apud Horatium colore metaphorico imbuta leguntur. Ut exempla adferam, „virere“ apud poetam nostrum invenitur vigorem et robur significans. Velut

Epod. 13, 4: dumque *virent* genua

C. I, 9, 17: donec *virenti canities* abest  
morosa

C. IV, 13, 6: . . . . . ille *virentis* et  
doctae psallere *Chiae*  
pulchris excubat in genis

Simili imaginandi ratione „decidere“ usurpatur de morte velut Epist. II, 1, 36: scriptor abhinc annos centum qui decidit

C. IV, 7, 14: nos ubi *decidimus*  
quo pater Aeneas . . .  
pulvis et umbra sumus

Eodem spectat „stringendi“ verbum metaphorice de dissipanda re familiari adhibitum.

Sat. I, 2, 8: . . . . . avi cur atque parentis  
praeclaram ingrata *stringat* malus ingluvie rem.

Denique adiectivo „crudus“, quo immaturae fruges designari solent, translata ratione Lydes puellae aetas tenera adumbratur.

C. III, 11, 12: . . . et adhuc protervo  
*cruda* marito.

Sed te metaphoris satis.

Tum ex ordine allegorias ex eadem regione sumptas percensere par est. Primum C. II, 10, 9 excelsae pinus imagine hominum fortuna atque condicio illustratur, quae quo est nobilior, eo gravioribus periculis magis obnoxia. Videmus enim l. 1.:

*saepius ventis agitur ingens  
pinus et celsae graviore casu  
decidunt turres feriuntque summos  
fulgura montis<sup>11)</sup>.*

Sequuntur imagines allegoricae a floribus maximam partem et plantis minoribus sumptae. Primam exhibeo, cuius fons sine dubio apud Pindarum est quaerendus; qui quotienscumque laudes alicuius carminibus suis extollit, ei coronam sese nectere vel imponere dicit. cf. Pindar. Olymp. I, 103 B. (162 Christ.) ἐμὲ δὲ στεφανώσαι κείνον . . . χρῆ; audacius: Olymp. VI, 86 B. (146, Chr.): ἀνδράσιν ἀρχματῶσι πλέκων Ποικίλον ὕμνον. Ibidem, v. 105; IX, 48; Pyth. XII, 4; Nem. VII, 77.

Item C. I, 26 7: . . . . . *apricos necte flores  
necte meo Lamiae coronam*

Porro C. I, 7, 7: *undique decerptam fronti praeponere olivam* Neque enim Horatius solus neque Romanorum poetarum primus suavissimam hanc Pindari imaginem est imitatus; verum antecessit Lucretii illud De r. n. I, 926; iuvat novos decerpere flores: Insignemque meo capiti petere inde coronam, unde prius nulli velarunt tempora Musae. Oliva h. l, carmen Athenas celebraturum significari vult, cum, quae, quoque carmine celebranda sint, iis florum foliorumque corona nectatur. cf. *Hor* C. III, 25, 20: cingens viridi tempora pampino. cum dithyrambum canere libet; Ovid. Amor. I, 1, 29: cingere litorea flaventia tempora myrto, quod myrtus Veneri deae dicata erat; Propert. IV, 1, 61: „hirsuta cinget sua dicta, corona“ de Ennio carmen epicum condenti.

Tum C. I, 25, 17-20: . . . . . non sine questu  
laeta quod pubes *edera virente  
gaudeat pulla magis atque myrto  
aridas frondis hiemit sodali  
dedicet Hebro<sup>12)</sup>.*

H. l. virens hedera et pulla myrtus iuvenilem puellarum venustatem, senectutem aridae frondes iocose illustrant.

\*) haec lectio secundum codd. scripturam est praeferenda.

Edem spectat C. II, 11, 9: *Non semper idem floribus est honor vernis . . . .*

Sequitur Sat. I. 3, 37: . . . . . namque

*Neglectis urenda filix innascitur agris.*

Cuius allegoriae argumentum: explora, num quid vitii tibi insit; quae si neglexeris, eo maiora et graviora resurgent.

Postremo C. II, 5, 9-12 . . . . . *Tolle cupidinem*

*immitis uvae: iam tibi lividos*

*distinguet autumnus racemos*

*purpureo varius colore.*

Hac imagine pulcherrima puella quaedam viro nondum matura depingitur; virginitatis igitur acerbae cum uvis immaturis comparatio — postquam in priore eiusdem carminis parte cum iuvenca intestiva collata est, — apud poetas Alexandrinos usitata erat. Ceterum tota allegoria fabulam illam de vulpe et uvis resipere videtur. Utraque imago exstat apud Theocritum, Εἰδύλλ. XI, 21: *μύσχω γαρυπτέρα, φαρωπτέρα ὄμφακος ὠμᾶς.*

Sed de plantis hactenus.

Sequitur, ut deinceps imagines ab animalibus depromptas excutiamus.

## §. 6.

### Imagines ab animalibus petitae.

Cum uberrima sit copia imaginum ex hac regione ductarum, in enumerandis exemplis certum ordinem constituere constitutumque servare consentaneum est. Propterea primum exhibenda sunt metaphorae ad omnium animalium condicionem spectantes. Atque videmus Sat. II. 3, 44:

. . . . . insanum Chrysippi porticus *et grex*  
autumat.

Ep. I, 4, 16: cum ridere voles Epicuri *de grege porcum*  
Vox „gregis“ de philosophorum scholis usurpata occurrit etiam apud Cicéronem cf. Cic. de orat. I, 10, 42: philosophorum greges; de fin. I, 20, 65: amicorum greges; Lacl. 19, 69: in nostro ut ita dicam, grege. — Quare C. I. 37, 9 et C. III, 1, 5 vim translationis iam evanuisse ratus praetermittere quam adponere malui.

Deinde Ep. I, 15, 28: scurra vagus non qui, certum praesepe teneret cf. Plaut., Curcul. II. 1. 13: (parasitus) „quin reciperet se hoc esum ad praesepim suam,“ similiter atque *φάτνη* apud Graecos. — Eodem pertinet C. II, 3, 24: *victima* nil miserantis Orci.

Sequuntur verba, quorum origo ab animalibus orta facillime subauditur velut Epist. I, 1, 39:

nemo adeo ferus est, ut non *mitescere* possit

Ep. I. 1, 186: silvestrem flammis et ferro *mitiget* agrum

Ep. I. 10, 48: *tortum digna sequi potius quam ducere funem*, quam imaginem ab animali fune ducto petitam esse verisimillimum est. Schützius l. l. (pag. 88 ss.) tribus huius loci interpretationibus congestis eandem subesse imaginem censet et atque in C. III, 10, 10 i. e. oneris ex altiore cadentis; equidem hanc interpretationem iusto artificiosiore putaverim.

Porro verba „pascendi, lambendi, mordendi, rodendi“ similia eius generis in hunc orbem quadrare manifestum est. Atque

Sat. II, 3, 35: . . . . . tempore quo me

solatus iussit sapientem *pascere* barbam

quae imago ad Homerum revocanda est. cf. II. Ψ, 142: ἐπεκείρατο χαιτήν τήν . . . τρέφε τῆλε θόωσαν. Idem imitatus est Vergilius in Aen. VII, 391: sacrum tibi pascere crinem

Epist. I, 18, 35: *nummos alienos pascet*

haud illepide aes alienum faenore auctum significat.

Sequuntur Sat. I, 5, 74: nam vaga per veterem dilapso flamma culinam

Volcano summum properabat *lambere tectum*.

Quam mire grande atque excelsum dicendi genus h. l. a re vilissima atque exilissima abhorret! Parturient montes, nascetur ridiculus mus, si poetae verbis uti licet. — Ceterum cf. Lucr. V., 396: ignis enim superat et lambens multa perussit.

Porro C. I. 22, 8: . . . . . quae fabulosus

*lambit Hydaspes*.

Ex hoc loco elucet huius verbi vim metaphoricam ab Horatio auctam esse. Similiter „mordere“ exstat C. I, 31, 8:

non rura, quae Liris quieta

*mordet aqua* taciturnus amnis.

Ad quem locum Dillenburger adnotavit: „Exquisita translatione flumina ripas mordere, lambere, rodere, stringere, lavere, terere dicuntur, quoniam aquis praeterlabentibus terrae aliquid semper demitur“.

Tum Sat. 4, 93: lividus et *mordax* videor tibi?

C. IV, 3, 16: et iam dente minus *mordeor* invido

Huc pertinet Sat. II, 1. 77: . . . fragili quaerens *illidere dentem*

Offendet solido.

Hanc imaginem imitatus esse videtur Persius Sat. I, 114: „sequitur Lucilius urbem, te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis“. Non solum invidia, verum sollicitudines etiam mordere dicuntur C. I, 18, 4: *mordaces* . . . diffugiunt sollicitudines.

Item frigus et aestus

Sat. II, 6, 45: *matutina parum cautos iam frigora mordent*

Ep. I, 8, 5: *oleamve momorderit aestus*

Porro iis adnumerandum est

Sat. I, 1, 71: Indormis *inhians* et tamquam parcere sacris

Sat. I, 2, 88: (ne facies . . .) *emptorem inducat hiantem*

Denique rodendi verbum aliquot exemplis illustretur:

Sat. I, 4, 81: *absentem qui rodit* amicum

Sat. I, 6, 46: quem *rodunt* omnes libertino patre natum

Epist. I, 18, 82: dente Theonino cum *circumroditur*.

Quibus exaratis animalium genera passim perscrutari oportet. Ordior a tauris et iuvenis, quos antiquissimis iam temporibus ab hominibus domitos atque humanum in usum conversos esse non solum rerum gestarum memoria docet, verum etiam nuper ars grammatica, quae vocatur comparativa, magnificentissime ac luculentissime probavit.

Atque taurus, quo quantoque est corporis robore, libidinis masculae imaginem apud omnes fere gentes praebet. Et poeta noster in Epod. 12, 17: . . . . . pereat male quae te

*Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem*\*)

Deinde tauri cornua praecipue virium et roboris signum habentur. Epod. 6, 12: namque in malos asperimus

*parata tollo cornua*

C. III, 21, 18: . . . . *addis cornua pauperi*\*\*)

Eodem spectat Sat. I, 4, 34: *faenum habet in cornu*, longe fuge: [dummodo *risum*

*excutiat* sibi . . .

Alio loco puellae blande dicuntur iuvencae

C. II, 8, 21: te suis matres metuunt *iuvenis*

Deinde iugum bobus praecipue impositum metaphorice exhibetur

Sat. II, 7, 91: . . . . . eripe *turpi*

*colla iugo*.

\*) Enuntiati relativi structura haec est: quae mihi taurum quaerenti te inertem monstravit.

\*\*) cf. Psalm. 92, 10; 89, 17.



C. I, 35, 28: *ferre iugum* pariter dolosi

C. II, 6, 2: Cantabrum indoctum *iuga ferre* nostra

C. III, 9, 18: diductosque *iugo cogit aëneo*.

Tum demum clamor boum mugiendi verbo apud Romanos significatus, quoniam vocis ipsius sonum aptissime reddit, et a poeta nostro metaphoricè exprimitur his locis:

Epod. 10, 19: Ionius udo cum *remugiens* sinus

Noto carinam ruperit

C. III, 10, 6; . . . . . quo nemus

inter pulchra satum tecta *remugiat*  
ventis

C. III, 29, 57: . . . . . si *mugiat* Africis

*malus* procellis

Hanc imaginem prisca iam aetate fuisse usitatam demonstrant haec: Enn. frgm. 142 (Vahl.): tibicina maximo labore mugit; Lucr. IV, 543: „tuba depresso graviter sub murmure mugit“. — Simili voce usus est Plaut, Amphitr. I, 1, 77/78: boat caelum fremitu virum.

Sed de bove satis. Transeo ad imagines ab equo sumptas. Sicut tauri amoris libidinosae imaginem praebent, ita equi. Videmus enim: Sat. II, 7, 50: quaecumque expedit turgentis verbera caudae

Clunibus aut *agitavit equum* lasciva *supinum*,

Deinde de poeta ipso iam senescente Epist. I, 1, 8, de quo cf. infra.

Tum ab equis calcitrantibus sumpta est imago a nostro sensu alienissima, veteribus tamen haud singularis neque rara. Exstat

Sat. II, 1, 20: cui *male si palpare, recalcitrat undique tutus*.

Cum aliae hominum cum animalibus comparationes, tum h. l. Augusti cum equo collatio nihil apud veteres offensionis habebant. Velut Ovid: Trist. I. 1, 67 eundem Augustum cum accipitre et lupo comparat. Addas huc poetae nostri Epod. 6, 1; C. II, 5, 3; ibid. v. 6; C. II, 8, 4; Epist. I, 4, 16 alia.

Porro Ep. I, 3, 34: . . . . . ac vos

seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat  
*indomita cervice feros*.

Imago ab equis obstinatis petita (cf. Epist. I, 2, 64.)

Denique frena translate usurpata exstant

Sat. II, 7, 74: iam *vaga prosiliet frenis natura remotis*

Ep. I, 2, 63: *hunc frenis*, hunc tu *compesce catena*

C. III, 24, 29: *indomitam* audeat

*refrenare licentiam*

C. IV, 15, 10: . . . . . et ordinem

*evaganti frena licentiae*

*iniecit* rectum,

„Refrenare“ iam a Lucretio in abstracta transfertur cf. De rer. nat. II, 276; II, 1122; IV, 1077; V, 114.

Accedit translatio ab asino petita.

Epist. I, 13, 19: cave *ne titubes mandataque frangas*.

cum annominatione haud infaceta, cum omnia Vinnio cuidam mandantur, cui cognomen fuit „Asinae“.

Sequuntur imagines a cane petitae. Atque homo avarus et sordidus specie canis inducitur

Sat. II, 2, 56: . . . . . Avidienus

cui *canis* ex vero dictum cognomen adhaeret.

Uno loco deminutivum blanditiarum vice adhibitum exstat

Sat. II, 3, 259: Porrigis irato puero cum poma, recusat:

Sume *catelle!* negat

Deinde quicumque omni ex parte obsequitur et servilem in modum oboedit, specie canis frustula domini captantis avide depingitur.

Ep. I, 18, 12: sic iterat voces et *verba cadentia tollit*

Sequitur canum morbus, qui rabies vocatur, ad versuum Fescenninorum vim illustrandam adhibitus

Ep. II, 1, 149: . . . . . donec iam *saevus apertam*

*in rabiem coepit verti* iocos et per honestas  
*ire domos impune minax, doluere cruento*  
*dente lacessiti* . . .

Sat. II, 3, 322: non dico *horrendam rabiem*

C. I, 3, 14: . . . . . *Ne rabiem Noti.*

Postremo canum clamor naturaeque eorum proprium dentes restringendi aliquod imagines praebent.

Sat. I, 3, 136: . . . . . miserque

Rumperis et *latras*, magnorum maxime regum

Sat. II, 2, 18: . . . . . cum sale panis

*latrantem* stomachum bene leniet.

Haec imago iam ab Homero, v. 13 adhibita usque ad Lactantii aetatem vigeat, cf. Lactant., div. instit. I, 2, 1.

Ep. II, 2, 128: praetulerim scriptor delirus inersque videri  
. . . . . quam sapere et *ringi*.

Quibus enumeratis superest, ut duas metaphoras a bestiarum velut leonis, lupi condicione ductas proferam. Velut

C. III, 2, 11—12: ne . . . . .

sponsus lacessat regius asperum  
tactu *leonem*, quem cruenta  
per medias rapit ira caedes.

cf. Hom. E, 136 ss; Y, 164 ss.

C. IV, 4, 50: cervi *luporum praeda rapacium*  
sectamur ultro

Sedde anim alibus, quae fetibus ubera praebent satis, est dictum. Sequuntur imagines ab avium natura depromptae. Primum „volandi“ verbum consideremus.

Sat. I, 2, 108: *transvolat* in medio posita et fugientia captat

Sat. II, 1, 58: seu mors *atris circumvolat alis*

C. I, 34, 8 . . . . . tonantes

egit equos *volucremque* currum

C. I, 37, 16: ab Italia *volanten* (Cleopatram)

C. II, 16, 11: et curas laqueata circum  
tecta *volantes* [quasi noctuae]

C. II, 17, 24: *volucrisque futi*  
*tardavit alas*

C. III, 28, 6: veluti stet *volucris dies*

C. III, 29, 53: *si celeres quatit*  
*pennas*

Ep. I, 18, 71: et semel *emissum volat irrevocabile verbum*

C. IV., 1, 38: . . . iam *volucrem* sequor  
*te*

C. IV, 5, 19: pacatum *volitant* per mare navitae

C. IV, 10, 3: et quae nunc umeris *involitant* . . . comae

C. IV, 13, 16: . . . . . notis condita fastis  
*inclusit volucris dies.*

Praeterea aliquot imagines ex avium condicione desumptae exstant. Velut

C. III, 4, 14: quicumque celsae *nidum* Acherontiae  
. . . tenent

Ep. I, 10, 6: tu *nidum servas*, ego laudo furis amoeni  
rivos . . .

Ep. I, 20, 21: me libertino natum patre . . .

*maiores pennas nido extendisse loqueris* . .

quocum compares Epist. II, 2, 50: *decisis humilem pennis inopemque.*

Eadem transferendi ratione eam imaginem adhibuit Cic., ad Att. IV, 2, 5: „eidem illi, qui mihi pinnas inciderant, nolunt eas renasci“.

C. IV, 10, 2: insperata tuae cum veniet *pluma* superbiae ad annos mollis primaeque lanuginis notandos.

Priusquam ad avium singula genera percensenda transeam, mentio facienda videtur verbi, cuius notio omnibus avibus communis est. Exstat Epod. 3, 15:

nec tantus unquam siderum *insedit* vapor  
siticulosae Apuliae . . . .

„Insidere“ enim proprium est avium ovis incubantium; eandem mataphoram videmus apud Senecam, Oedip., 47: „gravis et ater incubat terris vapor“.

Ad avium genera singula enucleanda accedenti prima ac praecipua obviam fit imago cycni, cuius specie poetas celebrare Graeci et Romani adamaverant. Velut

C. I, 6, 2: Scriberis Vario . . . . .

*Maeonii carminis aliti.*

C. IV, 2, 25-27: multa *Dircaeum* levat aura *cycnum*,  
*tendit*, Antoni, quotiens in *altos*  
*nubium tractus* . . .

Praeterea blandum cognomen „pullus“ transfertur in exiguae staturae hominem Sat. I, 3, 45:

Appellat . . . . . *pullum*, male parvus  
si cui filius est. . . . .

Haec sunt de avibus.

Sequitur una imago a serpentibus ducta

Ep. I, 14, 38: non istic obliquo oculo mea commoda quisquam  
limat, non odio obscuro *morsusque venenat* . . .

Transeo ad metaphoras a piscibus sumptas.

Sat. II, 5, 25: . . . . . neu si vafer unus est alter  
*insidiatorem praeioso fugerit hamo*

cf. Mart. VI, 63, 5: munera magna misit, sed misit in hamo.

Plin. Paneg. 43: „Caesarum munera illitos cibis hamos, o-pertos praeda laqueos aemulabantur“.

Sat. II, 5, 44: plures *adnabunt thynni et cetaria crescent*. Imago haec ab Herodoto profecta videtur esse; cf. Herod. I, 62: [oraculi responsum Pisistrato datum]: ἔρριπται δ' ὀβόλος, τὸ δὲ ῥήκτους ἐκπετάσσει, θύννοι δ' οἰμήσουσι σελιγαίης διὰ νυκτός.

cf. Epist. I, 1, 79: *excipiuntque senes, quos in vivaria mittant*.

His adiungendam esse puto imaginem, quae exstat

Sat. I, 4, 100, quamquam lolliginem ab eius rei peritis Molluscis quae vocantur, adnumerari haud ignoro. Atque l. l. videmus hic *nigrae sucus lolliginis*, haec est aerugo mera . . .

Lolligine autem animi fraudulosi et subdoli imaginem praebere patet ex Plutarchi de sera num vind., 22: Κακόννοια δ' ἐνοῦσα μετὰ φθόνου τούτῳ τὸ ἰώδες καὶ ὑπουλον ὥσπερ αἱ σήπια τὸ μέλαν ἀφίησιν; cf. Plin. H. N. IX, 84; ubi sensere se apprehendi effuso atramento infuscata aqua absconduntur.

Postremo nonnullas metaphoras ab apum indole ductas profero. Epod. 2, 65: positosque vernas, ditis *examen* domus

C. I, 35, 31: et iuvenum recens

*examen*

Ep. I, 19, 22: . . . . . qui sibi fidet,  
*dux reget examen.*

Ep. I, 3, 21: quae *circumvolitas agilis thyma*?

Ep. I, 19 44: fidis enim manare *poetica mella* [cf. §. 3].

Huc referendae sunt methaphorae a cera petitae.

C. I, 13, 32: Cum tu, Lydia, . . .

. . . . . *cerea*<sup>14</sup>) Thelephi

laudas brachia . . . .

A. P, 163: *cereus* in vitium flecti . . . .

Altero loco colorem potius videtur spectare quasi Telephi brachia sole adusta cerae similia fuerint, altero imprimis molli-  
tiem significat. — His addo Sat. I, 10, 78: men' moveat *cimex*  
Pantilius.

Denique in ipso metaphorarum fine expedire oportet imagines ductas a fabulis, quae animalia tamquam humana specie induta et loquentia faciunt. Velut

Sat. I, 6, 22: . . . quoniam *in propria non pelle quiessem.*

Sat. II, 1, 64: . . . . . cum est Lucilius ausus

*detrahare et pellem, nitidus qua quisque per ora  
cederet introrsum turpis . . .*

Resipit fabulam de asino, qui pellem leonis sibi induerat.

Sat. II, 5, 55: . . . . . plerumque recoctus scriba  
ex quinqueviro *corvum deludet hiantem*  
cf. fabulam de corvo et vulpe apud Phaedr. I., 13.

C. II, 5, 9-10 fabulam de vulpe et uvis in memoriam redu-  
cunt.

Epist. I, 16, 45: *introrsum turpem, speciosum pelle decora.*



Epist. I, 19, 15: *rupit Jarbitam Timagenis aemula lingua*  
cf. fabulam de rana Sat. II, 3, 314—320 et Phaedr I, 28.

Postremo A. P. 437: *numquam te fallant animi sub volpe latentes*.  
Item cf. Phaedr. I, 13: fabulam de corvo et vulpe. Et Persius,  
Horatij imitator exhibet Sat. V, 117. *astutam vapido servas sub*  
*pectore volpem*.

Hae sunt metaphorae fere omnes ab animalium natura  
sumptae. Restat igitur, ut allegorias huc spectantes expediam.  
Atque primum puella quaedam difficillis specie iuvencae tauro  
nondum maturae inducitur.

C. II, 5, 1-9: *Nondum subacta ferre iugum valet*  
*cervice, nondum munia comparis*  
*aequare nec tauri ruentis*  
*in venerem tolerare pondus.*  
*circa virentis est animus tuae*  
*campos iuvencae, nunc fluviiis gravem*  
*solantis aestum, nunc in udo*  
*ludere cum vitulis salicto*  
*praekestientis.*

Hunc locum Horatianum Ovidius videtur respexisse, dum  
de inaequalibus iuvencae agit in Epist. ex Ponto IX, 29:

quam male inaequalis veniunt ad aratra iuveni,  
tam premitur magno coniuge nupta minor.

Tum Horatius alia allegoriā interiecta [cf. §. 5] *versu 16*.  
primam repetit: . . . . . *iam proterva*  
*fronte petet Lalage maritum.*

Sequitur allegoria ab equo petita

Ep. I, 1, 8: *Solve senescentem mature sanus equum, ne*  
*peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.*

Deinde C. III, 20, 1-8 poeta puellae amore in adolescentem  
quendam flagranti leaenae speciem induit.

*Non vides, quanto moveas periclo*  
*Pyrre, Gaetulae catulos leaenae?*  
*dura post paulo fugies inaudax*  
*proelia raptor,*  
*cumper obstantis iuvenum catervas*  
*ibit insignem repetens Nearchum,*  
*grande certamen tibi praeda caedat*  
*maior an illa.*

Haec imago tota fere lineamentis et notis ab Homero sumptis est depicta; cf. Σ 318 . . . . . ὥστε λίς ἡυγένειος

ὃ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνονς ἐλαφίβολος ἀρπύση ἀνὴρ

ὕλης ἐκ πυκινῆς. ὁ δὲ τ' ἄχνοται ὅτερος ἐλθών... κ. τ. λ.

Sequitur iocosa allegoria de Celso Albinovano alios poetas magis imitante, quem poeta monet, ne sicut cornix in fabula illa risum moveat.

Epist. I, 3, 17-20: *ne si forte suas repetitum venerit olim  
grex avium plumas, moveat cornicula risum  
furtivis nudata coloribus,*

Tum suavissimam profero imaginem allegoricam, qua Pindarus ille tamquam cycuus spiritu quodam divino inflatus in aëra sublimis fertur.

C. IV, 2, 25-27: *multa Dircaeum levatura cycinum  
tendit, Antoni, quotiens in altos  
nubium tractus.*

In ipso denique huius capitis fine adponendum mihi est carmen, quo Horatius vulgata apud Graecos fama usus poetas non mori, sed in cynos mutatos ad caelum evolare, vaticinatur laudem suam poeticam perpetuam fore in omniumque gentium notitiam esse perventuram.

Velut C. II, 20: *Non usitata nec tenui ferar  
penna biformis per liquidum aethera  
vates, neque in terris morabor  
longius, invidiaque maior  
urbis relinquam . . . . .*

v. 8: *iam iam residuunt cruribus asperae  
pelles et album mutor in alitem  
superne nascunturque leves  
per digitos umerosque plumae . . .*


Iam tanto in hac disputatione itinere facto in universum de imaginibus a rerum natura petitis pauca dicere mihi liceat. Prae ceteris ex numero exemplorum permagno apparet poetam nostrum in translationibus adhibendis sane nec parcum nec illepidum fuisse. Item longe frequentissimas esse imagines ab igne et aqua sumptas et quae sit eius rei causa, ex hoc capite tertio cognitum habes. Tum ex nonnullis locis perspicui potuit ab Horatio nostro, quamvis in promendis imaginibus saepenumero e Graecis eum pendere neque minus raro a Romanorum poetis, velut Ennio, Plauto, Terentio, Lucretio, Catullo esse profectum prorsus non negares,

tamen interdum cum audacius tum felicius novas voces imaginesque inventas vel saltem inusitato adhuc colore metaphorico adauctas esse. Velut Ep. I, 2, 22: immersabilis: C. IV, 12, 17: eluere; C. I, 4, 19: calet, tepebunt; C. I, 22, 8; „lambere“ de aqua dictum. Atque ut alia praetermittam, quantum distat Horatianum illud de igne lambente Sat. I, 5, 74 a Lucretii V., 396. ! Accedit, quod multae imagines Horatianae posterioris aetatis poetis, praecipue Persio et Martiali, haud semel imitationi fuerunt; id quod suoapte loco monstratum est. Denique supervacaneum est monere antiquitatem ad nostros mores non esse revocandam; in qua honestum fuit frequenti recordatione et imitatione bonorum scriptorum doctrinae elegantiam scientiaeque amplitudinem prae se ferre.

His commemoratis nihil amplius in praesentia addendum esse puto, praecipue quod tum denique, cum omnes imagines perlustravero, sub unum conspectum subici poterunt, eius modi ut quot quisque rerum orbis ad augendum orationis ornatum quasi contribuat et qualis cuique libro Horatiano ornatus peculiaris sit, compertum perspectumque habeas.

Itaque transeo ad disputationis nostrae partem alteram, qua imagines ab hominibus ductae continentur.

(Res instituta porro tractabitur in libello schol., qui a. 1908/9 in lucem prodibit).



## NOTAE.

<sup>1)</sup> Praeter Bäkeri dissertationem, quae inscribitur „Die Metaphern in den Satiren des Horaz“, Stralsund, 1883 — neque hanc quidem propter redemptionem absumptam iam neque acquisitu facilem — Sabatii, De synekdoche eiusque in Horati carminibus usu vi atque ratione, libello scholastico gymnasii Stanislaopolitani i. a. 1895 additam, nostram commentatiunculam, quae inscribitur „de troporoim apud Horatium usu“, libello scholastico gymnasii Brodyensis i. a. 1896 additam, Sabatii tractationem, de imaginibus atque tropis in Horati carminibus, qui ex proportionis ratione proficiscuntur, quae prodiit in commentariis societatis philologiae Leopoliensis, Eos in a. 1897, vol. I. pagg. 3—48 nullam eiusmodi aliam, quae ad Horatium spectat, compertam habeo.

<sup>2)</sup> Uberrimum eius generis dissertationum indicem Pecz disputationi suae, quae inscribitur „Die Tropen des Aeschylus, Sophocles und Euripides“ praemisit [in, Berliner Stud. f. class. Philol. u. Archæol. t. III. in a. 1886, p. 4 et qu. s.

<sup>3)</sup> Quoniam omnes eius generis tropos ad comparisonem referri posse inter omnes constat, propterea ubi res poscere videbitur, brevitatis causa comparisonis voce de iis utemur.

<sup>4)</sup> in dissertatione libello scholastico addita, quae inscribitur, De translationum, quae vocantur, apud Curtium usu, Berolini 1842.

<sup>5)</sup> Kohlfeld, Zur Aesthetik der Metapher, Diss. inaug. Rostock, 1892; Biese, Philosophie des Metaphorischen, 1893.

<sup>6)</sup> Integer libelli titulus est: De tropis, Part. I. De translationum metonymiae synekdoches apud poetas aevi Augustaei usu Halis MDCCCLXVIII.

<sup>7)</sup> Exempla secundum librorum Horatianorum ordinem illum, quo quisque est conscriptus, adponere fere ubique studui, nisi quarum rerum nexus alium ordinem poscere videbatur.

<sup>8)</sup> Hic locus, cum codd. scriptura varie praeberetur, coniecturis mire vexatus est. Sed omnia a vv. dd. ad sanandum hunc locum elucubrata afferre longum est. Equidem cum iis facio, qui lectionem a Kellero-Holdero probatam receperunt.

<sup>9)</sup> In hac lectione, quam Bland. vet videtur habuisse, scripturae „avet“ praefereunda Bentleyum secutus sum. „Avet“ hoc loco modum excederet neque eo minus significaret, num scurra iste cunctos re vera derideret; praeterea modum coniunctivum ab illo „videas“ enuntiati praecedentis posci nemo nescit. Ceterum amandi verbum imminuta quasi vi idem valere atque „soleo“ patet ex locis Horatianis Sat. I, 10, 60; Sat. II, 3, 20; ibid. 214, aliis.

<sup>10)</sup> cf. Werther, T. De Persio Horatii imitatore, 1883.—Szelinski A., De Persio Horatii imitatore, 1879.

<sup>11)</sup> Hanc imaginem usitatam fuisse elucet ex Herodoto, qui in VII, 10, 5 Artabanum eadem fere loquentem facit . . . ὅρας δὲ ὥς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τᾷ τοιαύτῳ ἀπιστήπτει τὰ βέλεα;

<sup>12)</sup> Codd. fidem sequi quam Bentleyi coniecturam sagacem „Euro“ Aldina nisam recipere malui, quod codd. scriptura sensui non videtur repugnare. cf. Schützii excursus in ed. Horatiana I, pag. 97.

<sup>13)</sup> Verbi ipsius formae eadem vi mataphorica usitatae iam apud Plautum leguntur, velut: Aulut. II, 7, 17: inhiat aurum; ibid. II, 2, 88/89. Mil. glor. III, 1, 20; ibid. IV, 4, 62; Stich. II, 2, 25; Trucul. II, 3, 18; postea solum partic. praesentis occurrit, cf. Lucret. III, 1081: et sitis aequa tenet vitae semper hiantis; alios locos.

<sup>14)</sup> Equidem codd. scripturam retinendam esse censeo, primum quod omnes codd. de lectione „cerea“ consentiunt, deinde quod epithoton briacchiorum „cereus“ sensui non repugnat.







# WIADOMOŚCI SZKOLNE.

---







## I. Skład grona nauczycielskiego przy końcu r. szk. 1908.

### A) Nauczyciele przedmiotów obowiązkowych.

1. **Frączkiewicz Aleksander**, c. k. dyrektor, zast. przewodn. c. k. R. szk. okręg.

2. **Baczyński Mikołaj**, c. k. prof. w VII. randze, kierownik szkoły przemysłowej uzupeł. — na urlopie.

3. **Ks. Bielówka Franciszek**, katecheta, prefekt Bursy im. Jakubowicza, uczył religii rzym.-kat. I ab—VIII tyg. 18. godz.

4. **Bobjak Grzegorz**, c. k. prof., zawiad. gab. nat. hist., gosp. kl. Ic, ucz. mat. Ic<sub>3</sub>, hist. nat. Ia<sub>2</sub>, Ic<sub>2</sub>, IIc<sub>2</sub>, IIIa<sub>2</sub>, IIc<sub>2</sub>, Va<sub>2</sub>, VIa<sub>2</sub>, proped. VIIa<sub>2</sub>, VIIb<sub>2</sub> tygodniowo 21 godzin.

5. **Boron Stanisław**, egzam. zast. naucz., gosp. IIa, uczył j. łac. IIa<sub>8</sub>, j. pol. IIc<sub>3</sub>, mat. IIa<sub>3</sub>, IVc<sub>3</sub>, fizyki IVc<sub>3</sub> tygodn. 20 g.

6. **Chromcewicz Jerzy**, zast. naucz. na urlopie.

7. **Cwojdzinski Tadeusz**, prof. w VIII. randze; zawiadowca gab. fizykal., gospodarz kl. VIIa, ucz. mat. Va<sub>4</sub>, Vb<sub>4</sub>, VIIa<sub>3</sub>, VIIa<sub>2</sub>, fiz. VIIa<sub>3</sub>, VIIa<sub>4</sub>, prop. VIIa<sub>2</sub> tygodniowo 22 godzin.

8. **Czajkowski Julian**, egz. zast. naucz., ucz. języka łac. IIb<sub>8</sub>, j. rus. IV—VIII<sub>2</sub> tygodniowo 18 godzin.

9. **Ks. Dubicki Bazyli**, c. k. prof., uczył religii gr.-kat. w kl. Ia, c—VIII tygodniowo 18 godzin.

10. **Falschberg Joachim**, zast. naucz., uczył j. niem. IIa<sub>5</sub>, IVb<sub>1</sub>, Va<sub>4</sub>, Vb<sub>4</sub>, VIa<sub>4</sub>, VIb<sub>4</sub> tygodniowo 25 godzin.

11. **Filipek Jakób**, c. k. prof., ucz. j. niem. IVa<sub>4</sub>, IVc<sub>4</sub>, VIIa<sub>4</sub>, VIIb<sub>4</sub>, VIIa<sub>4</sub>, VIIb<sub>4</sub>, tygodniowo 24 godzin.

12. **Dr. Handel Salomon**, naucz., zawiad. bibl. naucz., gosp. kl. VIIb, uczył j. łac. VIIb<sub>5</sub>, VIIb<sub>5</sub>, j. grec. VIIb<sub>4</sub>, VIIa<sub>5</sub>, prop. VIIb<sub>3</sub>, tyg. 21 godz.

13. **Hassny Józef Bronisław**, naucz., gosp. kl. VIa, uczył j. łac. Ic<sub>8</sub>, VIa<sub>6</sub>, j. grec. Vb<sub>5</sub>, tygodniowo 19 godzin.

14. **Holuka Roman Aleksander Piotr**, naucz., uczył j. pol. IIIa<sub>3</sub>, IVa<sub>3</sub>, hist. IVa<sub>4</sub> IVc<sub>1</sub>, Va<sub>3</sub>, VIb<sub>4</sub>, tygodniowo 21 godzin.

15. **Husak Włodzimierz**, zast. naucz., gosp. kl. IIc uczył j. rus. IIc<sub>2</sub>, mat. IIc<sub>3</sub>, IVa<sub>3</sub>, tygodniowo 8 godzin.

16. **Kankófer Aleksander**, zast. naucz., gosp. kl. IIb, ucz. j. łac. IIb<sub>6</sub>, grec. IIc<sub>5</sub>, pols. Ic<sub>3</sub>, IIa<sub>3</sub>, tygodniowo 17 godzin.

17. **Kaznowski Adam Tomasz**, naucz., gosp. kl. IIIa, ucz. j. łac. IIIa<sub>6</sub>, grec. IIIa<sub>5</sub>, pols. Va<sub>3</sub>, VIb<sub>3</sub>, VIIb<sub>3</sub> tygodn. 20 godz.

18. **Kowalczewski Kazimierz**, egz. zast. naucz., gosp. kl. Ib, ucz. j. pol. Ib<sub>3</sub>, mat. Ib<sub>3</sub>, IIb<sub>3</sub>, nat. Ib<sub>2</sub>, IIa<sub>2</sub>, IIb<sub>2</sub>, IIIb<sub>2</sub>, Vb<sub>2</sub>, VIIb<sub>2</sub>, tygodniowo 21 godzin.

19. **Kowalski Paweł**, naucz. gosp. kl. Ia, ucz. j. łac. Ia<sub>4</sub>, geogr. i hist. Ia<sub>3</sub>, VIa<sub>4</sub>, VIIa<sub>3</sub>, VIIIa<sub>3</sub>, tygodniowo 21 godzin.

20. **Lebiszczak Józef**, zast. naucz., ucz. j. rus. Ia-b<sub>2</sub>, IIa-b<sub>2</sub>, j. niem. IIb<sub>5</sub>, tygodniowo 9 godzin.

21. **Matłachowski Jan**, egzam. zast. naucz., gosp. kl. IIb, ucz. j. pol. IIb<sub>3</sub> IIIb<sub>3</sub> hist. i geogr. Ib<sub>3</sub>, IIb<sub>4</sub>, IIIa<sub>3</sub>, IIIb<sub>3</sub>, tyg. 19 godzin.

22. **Nasielski Józef**, egzam. zast. naucz., gosp. kl. IVb, ucz. mat. Ia<sub>3</sub>, IIIa<sub>3</sub>, IIIb<sub>3</sub>, IIc<sub>3</sub>, IVb<sub>3</sub>, fiz. IVa<sub>3</sub>, IVb<sub>3</sub>, tyg. 21 g.

23. **Olbersek Antoni**, zast. naucz. w II. półroczu na urlopie.

24. **Opatrny Jarosław**, egzam. zast. naucz., gosp. kl. Vb, ucz. j. pol. Vb<sub>3</sub>, geogr. i hist. IIa<sub>4</sub>, IVb<sub>4</sub>, Vb<sub>3</sub>, VIIb<sub>3</sub>, VIIIb<sub>3</sub>, tygodniowo 20 godzin.

25. **Paszczyński Adam**, c. k. prof. w VII. randze, gospod. kl. VIIa, ucz. j. łac. Vb<sub>6</sub>, VIIa<sub>5</sub>, j. grec. VIIa<sub>4</sub>, VIIIb<sub>5</sub>, tygodn. 20 godzin.

26. **Popowski Jan**, zast. naucz. na urlopie.

27. **Posacki Michał**, egzam. zast. naucz., gosp. kl. Va, ucz. j. łac. Va<sub>6</sub>, j. grec. IIb<sub>5</sub>, IVc<sub>4</sub>, Va<sub>5</sub>, tygodniowo 20 godzin.

28. **Reiter Edward**, zast. naucz. gosp. kl. IVa, ucz. j. łac. IVa<sub>6</sub>, IVb<sub>6</sub>, j. grec. IVa<sub>4</sub>, IVb<sub>4</sub>, tygodniowo 20 godzin.

29. **Rudnicki Stanisław**, zast. naucz., ucz. j. łac. IIc<sub>8</sub>, IIc<sub>6</sub>, j. pol. IIc<sub>3</sub>, tygodniowo 17 godzin.

30. **Rylski-Ścibor Władysław**, naucz., ucz. j. pol. VIa<sub>3</sub>, VIIa<sub>3</sub>, VIIIa<sub>3</sub>, VIIIb<sub>3</sub>, j. niem. Ic<sub>6</sub>, tygodniowo 18 godzin.

31. **Sabat Andrzej**, egz. zast. naucz. na urlopie.

32. **Siorek Franciszek**, egz. zast. naucz., pełnił jednorocz. służbę wojskową.

33. **Stock Jan**, naucz., gosp. kl. VIIIb, ucz. j. niem. IIc<sub>4</sub>, mat. VIa<sub>3</sub>, VIb<sub>3</sub>, VIIb<sub>3</sub>, VIIIb<sub>2</sub>, fiz. VIIb<sub>3</sub>, VIIIb<sub>4</sub>, tyg. 22 godz.

34. **Szafran Tomasz**, c. k. prof. w VIII. randze, gosp. kl. VIb, ucz. j. łac. VIb<sub>6</sub>, VIIIb<sub>5</sub>, j. grec. VIa<sub>5</sub>, VIb<sub>5</sub> tyg. 21 godz.



35. **Tychowski Włodzim. Edward**, zast. naucz. gosp. kl. IIIc, ucz. j. pol. Ia<sub>3</sub>, j. rus. Ic<sub>2</sub>, IIIab<sub>2</sub>, IIIfc<sub>2</sub>, hist. i geogr. Ic<sub>3</sub>, IIc<sub>4</sub>, IIIc<sub>3</sub>, tygodniowo 19 godzin.

36. **Tyczyński Andrzej**, zast. naucz. w II. półr. na urlopie.

37. **Warchoł Jan**, c. k. prof. w VII. randze w II. półroczu na urlopie.

38. **Wilusz Adam**, zast. naucz., gosp. kl. IVc., ucz. j. łąc. Ib<sub>3</sub>, IVc<sub>6</sub>, j. pol. IVb<sub>3</sub>, IVc<sub>3</sub>, tygodniowo 20 godzin.

39. **Wróbel Antoni**, zast. naucz., uczył j. niem. Ia<sub>6</sub>, Ib<sub>6</sub>, IIc<sub>5</sub>, IIIa<sub>4</sub>, tygodniowo 21 godzin.

40. **Zakałata Teodor**, zast. naucz. chory.

### B. Nauczyciele przedmiotów nadobowiązkowych.

